

CAPUT V.

Ludus Alearum seu à fortuna dependens Clericis vetitus;
& quæ in ludis licitis cavenda?

- 1 Ludus alearum Legibus Civilibus jam pridem interdicitur.
- 2 Singulariter Clericis vetitus.
- 3 Sub lusu alearum etiam comprehenditur lusus Chartarum
& generatim omnis à fortuna dependens.
- 4 Consuetudo Canonis in totum abrogare non potest.
- 5 Non contrariatur S. Thomas.
- 6 Circa restitutionem lucri ex ludo vetito quid in Belgio obtineat.
- 7 Hodie victori actio non conceditur ad lucrum petendum.
- 8 Quæ à Clericis in ludis licitis observanda.
- 9 Quæ ratione Clerici in ludis moderationem facile servare possint.

Llearum lusus, tanquam discordiæ & rixarum seminarium jam pridem legibus improbatum fuit; adeo quidem, ut pecuniæ, quam victus collutori solverit, restitutionem dederint, etiam post 30. annorum lapsum, L. I. Cod. de Aleatoribus. Ipso autem vel hæredibus ejus repetere negligentibus, poterit à quocumque repeti: potissimum à Magistratu vel Episcopo loci, ut in civitatis opera expendatur, dicta lege 1.

Hic juris Romani rigor, licet consuetudinis vi, etsi injuria, ut loquitur Tuldenus ad tit. Cod. de Aleatoribus, abrogatus, ostendit nihilominus, quam sollicitè Republicæ moderatores etiam Laicos ab hoc lusu advocare studuerint: Ut proinde mirum non sit, si inter illa, quæ à Clericis spectantur cavenda sunt, lufum Alearum Ecclesia reposuerit.

II. Utque nihil dicamus de Justiniani Imperatoris constitutionibus in Auth. Decernimus Cod. de Episcopis, & Clericis, desumpta ex Novella 123. cap. 10. Item Synodi Quinti-Sextæ aliisque antiquis Decretis, quibus omnis Alearum lusus Clericis interdicitur; Concilium Lateranense in Cap. 15. de Vita & honestate Cleric. ait: Clerici ad aleas & taxillos non ludant, nec hujusmodi ludis intersint.

Quod Decretum conformiter ad Synodum Tridentinam pari consensu Belgii nostri Antistites in suis respectivè Synodis renovarunt, & inculcarunt. Vide Synodum Mechlin. P. II. tit. 18. cap. 9. Antwerp. sub Mazarino tit. 17. cap. 9. Bufcoduncensem sub Masio tit. 14. cap. 4. Tornacensem an. 1577. tit. 12. cap. 4. aliasque.

III. Sed inquiet aliquis, si antiquos, si ve recentiores Conciliorum sanctiones consulamus, nullibi lufum chartarum sive pagellarum Clericis interdicitur reperimus: Adeoque nec hic inter lufus veteros reponendus videtur. Respondeo, verum esse, Canones passim & plerumque ludi Alearum dumtaxat meminisse, omnemque Alearum lufum simpliciter Clericis interdicitur: At sicuti Alea per translationem ponitur pro quavis fortuna, si ve periculo, aut periculi dubitatione: diciturque, aleam omnem jacere, qui se periculo fortunæque committit: Et aleæ emptio Jurisconsultis dicitur, cum incertus eventus v. g. captus piscium aut avium emitur, L. 11. ff. de actione empti. Ita quoque lusus Alearum accipitur pro omni lusu, qui casu potius, quam arte regitur.

Alea nomine, inquit Tuldenus ad Cod. tit. de Aleatoribus, non tantum tesserarum lufus, sed quicumque alius perinde à fortunæ eventu, imò vel à solertia pendens, continetur, & in lucrum exercituum legibus improbat. Idem notat Vallensis ad tit. Decretalium de Vita & honestate Cleric. num. 12. aliique passim tum Legum, tum Canonum interpretes.

Cum igitur nemini dubium esse queat, quin Chartarum sive pagellarum lusus æquè ac tesserarum à casu dependeat, dubitari quoque nequit, quin sub generali Aleæ ludo & hic ludus contineatur.

Unde S. Antoninus cum dixit nomine alearum ludi in-

telligi omnem, qui innititur fortunæ, etiam si fiat ibi aliquid de industria, pro exemplo ponit non tantum lufum taxillarum, sed etiam chartarum. Parte 2. tit. 1. cap. 23.

Et sanè, si quis expendit mala, ob quæ alearum lufum, à Clericis præsertim; cavendum esse Canones edixerunt; ea non minus in ludo chartarum, quam tesserarum occurrere facile intelligit, & quotidiana experientia experietur.

IV. Quæ incommoda ex simili ludo provenientia si quis attendit, facile quoque intelligit, quod consuetudo contraria multorum Clericorum (non paucis tamen eam improbantibus) Canonum illorum auctoritatem non possit ita enervare, ut lufum illum Clericis licitum reddat. Si enim hæc mala ob quæ Canones lufum hunc veterunt expendantur, reperitur, illos non juri merè positivo, quod consuetudine tolli potest, sed etiam naturali inniti; cui opposita consuetudo non legis, sed corruptelæ nomen meretur.

Unde Innocentius III. in Cap. 11. de excess. Prælati Clericum alearum lufum vacantem, & obtentu consuetudinis Clericorum Gallicanorum, quæ serè universi Clerici frequenter sic ludunt, se à culpa eximere volentem, refellit his verbis: "Nos qui ex officii nostri debito pestes hujusmodi extirpare proponimus, atque ludos voluptuosos (occasione quorum sub quadam curialitatis imagine ad dissolutionis materiam venit) penitus improbamus, excusationem prædictam, quæ per pravam consuetudinem (quæ corruptelæ dicenda est) palliatur, frivolum reputantes, cum in illis magis plectibilis sit offensa, per quos ad excusandas excusationes in culpis, delinquentium auctoritas usurpatur."

Et ita hanc consuetudinem tamquam rationi naturali contrariam pro abusu, non tantum Theologi, sed & Jurisconsulti reputant, Panormitanus ad Cap. 15. de Vita & honestate Cleric. Fachinæus Lib. 11. Controvers. cap. 52. aliique ab his citati.

V. Neque in speciem his contrariatur S. Thomas 2. 2. quæst. 32. art. 7. ad 2. qui ibidem ait, quod victor in ludo aleæ teneatur ad restitutionem eorum, quæ accepit juxta leges civiles, nisi contraria consuetudine in loco illo abrogata sint. Evidens enim est, Sanctum Thomam non agere illic de Canonibus aut legibus simpliciter lufum alearum interdicens; sed de lege civili obligante victorem ad restitutionem, & concedente ipsi victo repetitionem: quam legem contraria consuetudine tolli posse non distinemus.

VI. Et quidem in Belgio vicinisque Provinciis generaliter consuetudine receptum esse, victo dari seu perdito repetitionem non dari testatur Christianus vol. 2. Decis. 200. Tuldenus, Zypæus aliique relati à D. Christinao in Notis ad cap. 230. lib. 2. Bugnyoni de Legib. abrog. quod tamen limitant: "Si quando alter dolo malo vicit: Quantum non pecunia, sed vestis aut pallium in solum data sunt; aut quis ingentem pecuniæ summam in magnum familiæ dispendium in aleæ lufum profudit." Unde aliquibus locis cautum, ut quis non nisi ad certam pecuniæ quantitatem ludere possit: utque quod eam excedit licitè repetatur: Item si quis id quod perdidit ludendo nondum solverit, sed ipsi creditum fuerit, non teneatur in foro externo ad solutionem, quamvis & fidem eidem de solvendo dedisset, Vide D. Christinaum loco citato.

VII. Sicuti autem moribus Belgii victo dari repetitio denegatur, ita victori ad id quod promissum aut cautum est actio denegatur: Nec is, qui alicui sciens in aleæ lufum pecuniam credidit, repetendi actionem habet. Christinaus loco citato; & in terminis habent Consuet. Antwerp. tit. 54. art. 17. 18. 19. & 20. Vide Zypæum in Notitia Jur. Belgic. tit. De Religios. & aleæ lusu: ibidem monentem, "Edicto 31. Aug. 1610. aleas aliunde ferri vetitum, certumque vetigal impostum, non tamen id in Brabantia receptum, quia non prævio Ordinum assensu emissum, sine quo pecunia imperari hinc non solent."

VIII. Quo-

VIII. Quoad ludos autem non à casu sive à fortuna, sed ab industria dependentes, illos interdum ad relaxationem corporis vel spiritus, ut suis functionibus, obeundis aptior reddatur, adhiberi posse etiam à Clericis, latè docet S. Thomas 2. 2. q. 168. art. 2. Modò tamen, ut monet idem Doctor, "Ludus congruat personæ, & temporis, & loco, & secundum alias circumstantias debite ordinetur, ut scilicet sit & tempore & homine dignus."

Si ergo Ecclesiastici ad animi corporisve relaxationem honeste alicujus ludi exercituum sibi utile aut necessarium credant, illud ita temperare debent, ut personæ, loco, & temporis conveniat.

Et primò quidem, cum vix contingere possit, ut Clerici publice & coram secularibus hujusmodi exercitiis occupentur, quin aliquam levitatis notam incurrant; quin & aliquid de existimatione & reverentia Ordini Clericali debitis detrahat, nullatenus convenit, ut in loco publico & secularibus quibusque patenti ludant.

Quod perpendens S. Carolus, postquam omnem lufum alearum Clericis interdicitum esse declaravit, subiungit: "Si autem valetudinis interdum causâ parva pila, aut alio non indecoro ejusmodi exercitationis genere uti contigerit, ne id publice faciant."

Similiter Synodi Belgicæ dicunt, "Scandalosum esse, Pastores aliosque Sacerdotes ad psittacum jaculari, aut in locis publicis ludere pila palmariâ. Ideoque etiam, quilibet ab eo abstinere sub pena arbitraria." Ita Synod. Gand. an. 1613. tit. 17. cap. 10. quod renovatum est in Decretis Synodalibus sub Tricest. tit. 17. cap. 7. Et Synod. Cameracensis D. an. 1617. cap. 6. Item Ordinationes Synod. Antwerp. sub Nemio tit. 17. num. 3.

Illud quoque summo pete cavendum, ne nimio affectu alicui ludo quantumvis honesto afficiantur. "Quantumcumque enim honesta sit recreatio" (ait Saleusius in Introduct. ad vitam devot. cap. 3. part. 31.) "vicio certè non caret, animum ei & affectum applicare."

Cavendum denique Ecclesiasticis, ne lucri cupiditate ad ludum principaliter accedant: cui periculo occurrere volens S. Carolus decrevit: "Ut si valetudinis interdum causâ, parva pila aut alio non indecoro exercitationis genere uti contigerit, ne publice id faciant, nec pecunia intercedat in ludo, nec quidquam quod facile pecuniâ estimari oportet."

IX. Hanc in ludicris & aliis oblectamentis tum corporis, tum animi moderationem non difficulter observant Ecclesiastici, qui meminert, universos Ecclesiasticos militiæ adscriptos ad pietatis religionisque exercituum vocatos esse; ut monet Synodus D. Mechlin. tit. 17. cap. 1. subditque: "Sciat propterea id in officio suo positum esse, ut cum in officiis divinis obeundis vel in frequentandis Ecclesiis quod debet tempus consumpserit, si quid sibi reliquum est, id omnis non in rerum secularium colloquiis profanisque actionibus, sed in divinarum litterarum studiis & in caelestium rerum contemplationibus & sanctis pietisque officiis traducat." Similia habet Synodus Audomar. an. 1583. tit. 16. cap. 5. additque: "Qui pastoratu funguntur, dent operam ut proficiant in cognitione eorum, quæ ad ipsorum spectant officium, visitent agros, consulant ipsi secum & cum Deo, qua optimè ratione unus parochianorum ipsorum à vitiis ad virtutem trahi, alius per-suaderi id quod consiliosum sit, tertius ad perfectum excitari possit."

CAPUT VI.

Clerici negotiis secularibus se non misceant

- 1 Negotia secularia professioni Clericali contraria.
- 2 Mercatura illis singulariter interdicitur.

- 3 Decimarum conductio Parochis non convenit.
- 4 Famulatus personarum secularium Clericis non decet, nisi nec familiarum administratio.
- 5 Quomodo se gerere debeant Principum Capellani.



Uto sunt genera Christianorum, (ait S. Hieronymus apud Gratianum Caus. 12. q. 1. Can. 7.) Est autem unum genus, quod à mancipatum divino officio, & detur, dicitur contemplationi, & orationi, ab omni st reptu temporalium cessare convenit, ut sunt Clerici & Deo devoti, videlicet conversi. Clerus enim Græcè, Latine fors? Inde hujusmodi homines vocantur Clerici, id est sorte electi. Omnes enim Deus in suos legit.

Cum ergo Clerici & Monachi specialiter vi suæ vocationis Dei & Ecclesiæ servitio sint addicti; & ea ratione Ecclesiasticæ Militiæ adscripti, unanimi Patrum consensu illis applicatur illud Apostoli: Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus: ut ei placeat, cui se probavit. 2. ad Timoth. 2. v. 4. Id est, Clericus adinstar Militis adscriptus Christi militiæ, ut placeat ei à quo delectus est, omnia negotia aliena ab officio illo Militari procul à se abiciat; illud unum agens & cogitans, quomodo ritè Deo & Ecclesiæ militare possit.

II. Itaque ex ipsa Clericali professione probant Canones, non convenire Clericis mercaturam; quia per illam plurimum abstrahuntur à militiæ suæ Ecclesiasticæ & secularibus implicentur.

Antiquos in hanc rem Canones, & Patrum sententias recitat Gratianus Dist. 88. Quos sequutus Alexander III. Londinensi Episcopo rescribit in Cap. 6. Ne Clerici vel Monachi &c. "Secundum instituta Prædecessorum nostrorum sub interminatione anathematis prohibemus, ne Monachi vel Clerici causâ lucri negotientur: & ne Monachi à Clericis vel laicis suo nomine firmas habeant: neque Laici Ecclesias ad firmam teneant."

Quibus conformia sunt Synodorum nostrarum Decreta, mercaturam Clericis etiam sub penarum comminatione interdicens. Synod. Camerac. P. II. tit. 16. cap. 1. Mechlin. P. II. tit. 17. cap. 5.

Adduntque præterea tamquam eodem ex fundamento profuens, Ne decimas, census, prædia, aut terras alienas conducant, quæstus faciendi causâ.

III. Et quidem quod ad decimarum conductionem attinet, illud singulariter notandum; hodie frequenter à Capitulis decimas Pastoribus elocari, eò quod ab his, quam à rusticis sibi de solutione magis cautum credant: At non advertunt, quod præterquam quod Pastores per hujusmodi decimarum conductiones à suis functionibus Pastoralibus soleant non parùm abstrahi, contingat quod indignationem & odium aliqualè suorum Parochianorum non raro incutiant: dum hi credunt per Pastores sibi lucrum, quod ipsi ex conductione decimarum sperabant, & sibi tantquam villicis competere credunt, ereptum vident. Ut vel hinc pateat, quam merito harum conductionem Synodi nostre Pastoribus interdixerint.

IV. Eodem fundameto innoxia Synodi nostre conformiter ad responsum Pontificis in Cap. 5. de Vita & Honestate Cleric. interdicitur Clericis, ne se famulatu Personarum secularium, aut alicujus familiæ administrationi, si ve procuratori addicant: "Quomodo enim" (ait Synodus Bufcod. sub Masio tit. 14. cap. 5.) Procuratores & Dispensatores domorum alienarum, atque villarum esse poterunt Clerici, qui proprias jubentur contemplare facultates." Et Synodus Namurcensis an. 1604. tit. 8. cap. 7. "Non solum contra Apostolicam præceptum faciunt Clerici qui negotiationibus operam dant, & questum captant, sed etiam qui alienos agros aut decimas conducunt, & illis colendis, his verò colligendis maximam sui temporis partem, quam orationi & sacris studiis impendere deberent, inutiliter impendunt;

„dunt; nec nos ii qui dominorum temporalium obsequiis
„ se tradunt & in eorum negotiis curandis toti occupan-
„ tur.

V. Synodus quoque Oecumenica VII. *can. 10.* vult,
ut Clericus, qui de consensu Episcopi „ Principum Capel-
„ lanus constituitur, non liceat ei mundanas & seculares
„ curas suscipere; præsertim cum hoc agere prohibeatur
„ à Sacris Canonibus: potius autem maneat ad magistrari-
„ um tam puerorum, quam famulorum, relegens eis Di-
„ vinas Scripturas: ad hoc enim Sacerdotium consecutus
„ est.

Hic obiter nota, jam pridem à Synodo generali lauda-
tos, qui pueris, quos instituendos suscipiunt, Sacras Scri-
pturas prælegunt, & commendant.

VI. Annumerant pariter Sacri Canonibus negotiis sæcu-
laribus, à Clericis haud facile suscipiendis, tutelam, cura-
telas, similesque curas, quæ Clericos multis difficultati-
bus naturæ sunt implicare, & à divinis functionibus mul-
tum impedire, animimumque distrahere.

Notum est illud Concilii Africani à S. Cypriano lau-
datum. „ Ne quis de Clericis, & Dei Ministris tutorem
„ vel curatorem testamento suo constituat: quando sin-
„ guli divino officio honorati, & in Clerico ministerio
„ constituti non nisi Altari & Sacrificiis deservire, & præ-
„ cibus atque orationibus vacare debeant.

Hanc Clericale officium inter & similes functiones in-
compatibilitatem intelligens Justinianus Imperator Episcopis,
Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis, & Monachis omnibus
immunitatem ab omni cujuscumque generis tutela & curatela
concessit: Unà tamen declarans; eos tantum Clericos &
Monachos hujusmodi habere beneficium, qui apud sacrosanctas
Ecclesias, vel Monasteria permanent: *Cum propter hoc, ait, ipsum beneficium eis indulgentia-
nus, ut, aliis omnibus derelictis, Dei omnipotentis ministeriis
inherereant. l. 5. c. de Episc. & Cler.*

Hic pertransennam observa veram ac præcipuam cau-
sam immunitatum, & privilegiorum Clericalium.

Privilegium Justiniani moribus Belgii receptum esse
quoad immunitatem Clericorum ab onere tutela & cura-
telæ, testatur à Sande in *Decis. Frisic. tit. 9. Decis. 7.*

Itaque ut verbo dicam, negotia sæcularia, præsertim
quæ multum distrahere & implicare hominem solent,
studiosè à Clericis declinanda: Aut ut minus, si necessitas
aut proximi charitas exposcat, ea moderatione suscipien-
da & amplectenda, ut quæ vi officii Clericalis sibi incumbunt
haud negligantur; ne è milite Christi & Ecclesiæ,
miles & servus mundi factus videatur.

Quod de negotiis, idem & de studiis statuendum: ut
nimirum studia Clericorum vocationi eorum sint conformia.

Hoc ex Capite jam pridem Monachis, Archidiaconis,
Decanis, Plebanis, Præpositis, Cantoribus, & aliis Clericis
Personatus habentibus, nec non Presbyteris sub pœ-
na excommunicationis læsententiæ prohibitum fuit
audire Leges civiles, *Cap. 3. & Cap. 10.* „ *Ne Cler. vel*

Monachi secul. neg. &c. „ Ne occasione scientiæ (inquit A-
„ lexand. III. in citato *Cap. 3.*) Spirituales viri mundanis
„ rursum actionibus involvantur.

Et sanè, ut rectè advertebat magnus ille Bathoniensis Ar-
chidiaconus Petrus Blesensis: „ Res plena discriminis est
„ in Clericis usus Legum; totum enim hominem adeo fi-
„ bi vindicat, ut eum rei familiaris providentia fraudet,
„ suspendat à spiritualibus, à divinis avellat.

VII. Hinc tamen nemo inferat, Legum humanarum
studium Clericis & Monachis plenè esse interdictum:
quandoquidem certum sit, Theologicæ scientiæ, præsertim
ubi de Jure & justitia tractat, legum civilium notitiam
non parum conducere. Canonicam quoque scientiam
plurimum ex notitia legum adjumentum accipere, nimis evi-
dents est. Unde rectè Pontifice in *cap. 1.* „ *De novi operis
nuntiat.* „ Sicut Leges non dedignantur SS. Canones imi-
„ tari, ita & SS. Statuta Canonum Principum Consti-
„ tutionibus adjuvantur.

Nulloatenus proinde statui aut vocationi Clericorum
contrariatur studium Legum Civilium; modò ea fiat moder-
atione, ut nec contra Apostoli præceptum, Deo mili-
tantes negotiis sæcularibus implicentur; neque discepta-
tionum forensium peritiam per studium istud affectent:
cum judicatum sit, *Absurdum Clericis esse, imò opprobrio-
sum, si peritos se velint ostendere disceptationum forensium. l.
4. c. de Ep. & Cler.*

VIII. Quapropter Pontifices concedentes dispensatio-
nem Presbyteris aliisve Clericis audiendi Leges Civiles,
eam ad triennium restringere consueverunt: „ Ne præte-
„ xtu longioris temporis studendi, (ais Pyrrus Conradus
in Praxi dispensationum *parte 3. cap. 5. num. 18.*) Presby-
teri & alii Clerici supra expressi, occasione scientiæ mun-
„ danis actionibus involvantur, & nimis à contemplatio-
„ ne distraherentur; cum per Jus Civile non dirigatur prin-
„ cipaliter homo in Deum, sicut per Jus Canonicum.

Apponunt insuper hanc clausulam: *Pro majori Sacro-
rum Canonum intelligentia.*

IX. Ex his haud difficultè intelligitur, quod dum Pon-
tifices Academia Lovaniensis, aliisque indulgent privilegia,
quæ quædam dispensationes sunt) ut etiam Presby-
teri & Clerici dignitates vel Personatus possidentes,
Physicam, Medicinam & Leges liberè audire queant, illa
sint accipienda cum ea moderatione, ut Clerici illis scien-
tiis vacare possint, quatenus non negligent Canonum &
Theologiæ scientiam statui suo & vocationi convenientem;
neque occasione studii Legum aut Medicinæ mundanis
actionibus nimis involvantur, & à contemplatione
& gustu rerum divinarum nimium abstrahantur.

X. Quia verò hujusmodi moderatio generaliter deter-
minari nequit, ac propterea cujusque conscientia relin-
quatur, hinc usum & moribus Belgii obtinuit ut Clerici
quicumque liberè Leges & Medicinam sine ullo excom-
municationis metu audiant: neque ullus credat, sibi spe-
ciale dispensationem Pontificiam esse necessariam, ut
tutus sit à pœnis canonicis.

TITULUS III.

De Pastoribus & Vice-Pastoribus.

CAPUT I.

Singulis Parochiis singuli Parochi totius Parochiæ
curam sustinentes præficiendi.

1. *Institutio & div. sio Parochiarum malè Dionysio Pape tri-
butur.*

2. *Est tamen antiqua.*

3. *Totius Parochiæ cura incumbit Parocho,*

4. *Fines Parochiarum debent esse certi & distincti.*

5. *Parochus est principalis & proprius Sacramentorum mi-
nister in sua Parochia.*

6. *Sæpe Pastores recogitent sibi totius Parochiæ curam in-
cumbere.*

I. Parochias jam tum sæculo 3. fuisse institutas & di-
visas, probant communiter Canonice auctoritate
Epistolæ, quæ sub nomine Dionysii Pape (qui
vixit circa annum 266.) referuntur à Gratiano *Caus. 13. q. 1.*

Can. I.

Tit. III. De Pastoribus & Vice-Pastoribus Cap. I. & II.

can. 1. in qua Dionysius Severo Episcopo scribit: „ Eccle-
„ sias singulas singulis Presbyteris dedimus: Parochias &
„ cœmeteria eis divisimus, & unicuique jus proprium ha-
„ bere statuimus: ita videlicet, ut nullus alterius Parochiæ
„ terminos, aut jus invadat, sed unusquisque suis terminis
„ contentus & taliter Ecclesiam & plebem sibi commif-
„ sam custodiat, ut ante tribunal æterni Judicis de omni-
„ bus sibi commissis rationem reddat, & non iudicium, sed
„ gloriam pro suis actibus accipiat.

Verùm cum hodie eruditio omnibus compertum sit,
hanc Epistolam Sancto Dionysio falsè adscriptam, eam-
que putridis Isidori Mercatoris mercibus annumerandam
esse; ut fufius in Observationibus ad collectionem Isidori
Mercatoris ostendimus, parum solidum, pro earum in-
stitutione & divisione astruenda, hinc argumentum sumi-
tur.

II. Quin tamen antiqua sit earum institutio & divisio,
haud dubitari potest. Scribit enim Sanctus Achanasius,
Apolog. 2. „ Mareotes ager est Alexandriæ, quo in loco
„ nunquam Episcopus fuit, imò nec Chorepiscopus qui-
„ dem, sed universæ ejus loci Ecclesiæ Episcopo Alexan-
„ drino subjacent, ita tamen, ut singuli pagi suos Presbyteros
„ habeant.

Quod in Episcopatu Alexandrino erat tempore Sancti
Athanasii, hoc sensim, populo Christiano crescente, per totam
Ecclesiam factum fuit: id est, distinctus Episcopales,
quos hodie Dioceses vocamus, in plures divisi fuere por-
tiones; atque cuique portioni sua attributa Ecclesia, & po-
pulus Ecclesiæ illi vicinus; quas hodie Parochias appella-
mus.

III. Porrò sicuti singulis Diocessibus seu districtibus Episcopis
unicuique erat præfectus Episcopus, cui totius
Diocesis regimen incumbere, & quæ populus istius Dio-
cesis, ut proprium Episcopum colere & agnoscere deberet;
ita & singulis Parochiis datus fuit Presbyter, qui totius
Parochiæ curam spiritualemente ageret; qui propterea *Paro-
chus, seu Presbyter Parochianus* dicebatur: & quem populus
tamquam proprium suum Pastorem venerari & audire
deberet: propterea dictus *proprius Sacerdos.*
Ea de causa cautum fuit, „ Ut nullus Presbyter alte-
„ rius Parochianum, nisi in itinere fuerit, vel placitum ibi
„ habuerit, absque licentia sui Presbyteri ad missam reci-
„ piat vel sollicitate præsumat.” *Constit. Synod. Herald
Episcopi Turonensis cap. 29.*

Et ex Concilio Nannateni referuntur in *cap. 2.* „ *De Paro-
chis:* „ Ut Dominicis & festis diebus Presbyteri ante-
„ quam Missam celebrent, plebem interrogent, si alterius
„ Parochianus in Ecclesia sit, qui contempnito proprio Pres-
„ bytero ibi velit Missam audire: quem si inveniunt, sta-
„ tim ab Ecclesia abjiciant.”

Quin & anno 1310. statuit Synodus Colonienfis, „ Ut
„ nullus Parochianus ab alio, quam à suo vero Plebano
„ communionem recipiat: nisi de hoc privilegiis authen-
„ ticus sit munitus. Contrarium facientes à perceptione
„ Corporis Christi abstineant, quousque ipsi Plebano sa-
„ tisfecerint de contempnuto.”

IV. Hinc Synodus Tridentina collapsam disciplinam
restaurare desiderans, mandat Episcopis, „ In iis quoque
„ civitatibus, ac locis, ubi parochiales Ecclesiæ certos
„ non habent fines, nec earum Rectores proprium popu-
„ lum, quem regant, sed promiscuè petentibus Sacra-
„ menta administrant; pro tutiori animarum eis commif-
„ sarum salute, ut distincto populo in certas, propriasque
„ Parochias unicuique suum perpetuum, peculiaremque
„ Parochum assignent, qui eas cognoscere valeat, & à quo
„ solo licitè Sacramenta suscipiant, aut alio utiliori modo,
„ prout loci qualitas exegerit, provideant. Idemque in iis
„ civitatibus, ac locis, ubi nullæ sunt Parochiales, quam-
„ primum fieri curent: non obstantibus quibuscumque
„ privilegiis, & consuetudinibus, etiam immemorabili-
„ bus.” *Sess. 24. de reform. cap. 13.*

Qui mentem ac intentionem Concilii jam relatis ver-
Var. Esphen Jur. Eccles. P. 1.

bis expressam attenderit, haud difficultè intelligit, satis-
factum esse decreto Concilii, si Parochiæ quidem certos
& determinatos fines non habeant, sed certum populum
certaque familias; usque adeò ut Sacramenta promiscuè
non administrantur, sed Parochi suos noscant, & eum sui:
& ita respondisse S. Congregationem testatur Barbosa *De
Officio Parochi part. 1. cap. 1.*

Ulteriùs evincit citatum decretum Synodi, unicuique
Parochiæ suam debere esse Presbyterum, qui sit Caput
Ecclesiasticæ istius Conventus; & cui totius Parochiæ cura
spiritualis principaliter & immediate incumbat; quem-
que Parochiæ istius populus, ut ordinarium, & proprium
Sacramentorum Ministrum agnoscat.

V. Proinde merito dicendum cum pio Gersonio Pari-
sienfi Cancellario: „ Domini Curati sunt in Ecclesia Mino-
„ res Prælati & Hierarchæ ex primaria institutione Chri-
„ sti: quibus competit ex statuto jus prædicandi, jus Con-
„ fessiones audiendi, jus Sacramenta Ecclesiastica secun-
„ dum exigentiam sui status & Parochianorum ministran-
„ di, jus sepulturas dandi, jus insuper decimas & alia jura
„ parochialia recipiendi.” *De potestate Ecclesiastica Conf. 12.*

VI. Sæpe ergo recogitent Pastores (verba sunt Syn-
odi Gandensis anni 1613. *tit. 16. cap. 9.* renovata in
„ decretis Synodalibus sub D. Triest *tit. 16. cap. 14.*) se
„ ad Ovium suarum salutem omnes suas actiones & fun-
„ ctiones pastorales dirigere debere, & sibi aliquando
„ pro animabus earum reddendam rationem in strictissi-
„ mo Dei judicio: ideo etiam earundem salutem conti-
„ nuis precibus & quotidianis Sacrificiis Deo ferventer
„ commendent, omnibus ritè dispositis non minus prom-
„ ptè, ac benignè, quàm reverenter Sacramenta admini-
„ strant, atque ita grandiores pascant verbo Dei ac salu-
„ taribus monitis, ut parvulis quoque panem frangere
„ non omittant, & in omnibus præbeant se ipsos exem-
„ plum honorum operum, facti forma gregis ex animo.”
Simile monitum exhibet Synodus Antverp. sub Miræo
tit. 16. cap. 7.

Porrò sicuti cura pastoralis totius Diocesis Episcopo
incumbens non impedit, quo minus Parochi alique infe-
riores Ministri Episcopo in sollicitudine pastorali adju-
tores accedant, ita nec cura pastoralis uni Parocho injuncta
prohibet, quo minus plures in eadem Parochia sub ipso
Parocho ut principali, functionibus pastoralibus occupentur,
& cum Parocho allaborent. De quibus capite sequenti.

CAPUT II.

De Vice-pastoribus: à quo assumendi, & quid iis
incumbat?

1. *Parochi cogendi ut necessarios Ministros sibi adjungant.*
2. *Vice-pastorum assumptio pertinet ad Pastorem; nisi speciali titulo aliud obtineat.*
3. *Synodus Trident. Sess. 21. c. 4. de reform. agit de Vice-pastoribus, non de Fratibus Mendicantibus.*
4. *Vice-pastoribus etiam propriè cura Parochiæ incumbit.*

I. „ Parochi, etiam tamquam Sedis Apostolice
„ delegati, ait Synodus Tridentina *Sess.
„ 21. cap. 4. De reform.* in omnibus Ecclesiis
„ Parochialibus, vel baptifmalibus, in
„ quibus populus ita numerosus sit, ut u-
„ nus Rector non possit sufficere Ecclesiasticis Sacramen-
„ tis ministrandis, & cultui Divino peragendo; cogant
„ Rectores vel alios ad quos pertinet, sibi tot Sacerdotes
„ ad hoc munus adjungere, quot sufficiant ad Sacramen-
„ ta exhibenda, & cultum divinum celebrandum.”

II. Cum ergo Synodus velit, Rectores Ecclesiarum
per Episcopos esse cogendos, ut sibi adjungant tot